

THESES,

9.

QUAS,

JUBENTIBUS LEGIBUS ACADEMICIS,
STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM
IMPERIALEM ABOËNSEM
EXERCITATIONI INSERVITURAS,
CONSENSU EXPER. FACULTATIS MEDICÆ
PUBLICÉ PROPONIT

INSPECTOR H. T. STIPENDIARIORUM

NICOLAUS ABRAHAMUS URSIN,
*Philos. & Medic. Doctor, Anatomiae & Physiologie Prof.
P. O. Assessor Colleg. Med. Fennic.*

R E S P O N D E N T E

FRANCISC. JOHANNE RABBE,
*Ph. Cand. Stipendiar. Bremerian.
Satacund.*

In Auditorio Medico die XXI Martii MDCCXXVII,
horis a. m. consuetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.

Thesis I.

Quam præ se veluti symbolum Lacedæmonius Chilo, ex septem Græciæ sapientibus quondam unus, ferebat, sententia: *Nosce te ipsum*, ut in doctrina morum valet semperque valebit, ita per obscura physicarum investigationum sideris instar dux sit ipsa. Cujus itaque refert, — quotus vero quisque est, cujus id non intersit? — hominem non modo sed mundum etiam cognoscere, semet ipse investiget. Etenim non nisi e hominis conscientia sui veritas in vasta rerum universitate emicat, emergitque futuræ vitæ post hanc mutabilem & caducam melioris præsensio.

Thes. II.

Qui animo & cogitatione semet ipsum rite contemplatur & quasi ante oculos totum proponit homo, monadem se, & quidem e disparatis partibus, e spiritu & materia, neutiquam contextam, sed totum quoddam vivens intelligat, necesse est; quamvis nec negatur, cum ad hominem reflectat mens humana vel singulatim & quasi per partes diligentiore notitiam querens Reflexione, quam Philosophi vocant, utatur, posse hominem duplicitatem videri. Unde igitur illud efficitur, esse corpus & animum quod ad internam vim & naturam non nisi unum idemque.

Thes. III.

Corpus & Animus, qualem communis vitæ sermo animum accipit & interpretatur, meræ sunt externæ enuntiationes & significaciones Ideæ hominis, unius illius æternæ atque immortalis, Veri hominis Animi, qui ex omnipotente rerum omnium Creatore, Patre Optimo egressus, ut his in terris metam sibi constitutam contingat, ad Eum vero reversurus, se, quamdiu hic profugus vagatur, ostendit oppositas quasi & diversas versus partes, realem versus & idealem, exferit vel corpus vel animum communi loquendi ratione significatum.

Quo diverso e manifesteris modo profectum illud est: hominem esse duplicitatem; qui error eos, qui phœnomena ab interna eorum causa se jungere haud didicerint, non potuit, quin facile invadat & teneat.

Thef. IV.

Ut itaque dici non potest, esse corpus animi domicilium vel, ut multi voluerunt, externam testam quasi & corticem; quippe quia sensus, cogitatio & voluntas, corticis instar, pariter sunt externæ, atque sunt sensibilitas irritabilitas & reproductio, manifestaciones interni illius æterni entis; ita neque potest quæstio de nexu quodam animum inter & corpus exoriri. Commercium enim, quod psychicas cum somaticis phœnomenis est, optime intelligitur, si internam eorum causam eandem esse agnoscitur. Age vero hominem ut veram duplicitatem consideremus animumque a corpore quod ad essentiam diversum habeamus, nexus jam illum inter & hoc mente comprehendi haud potest. Aut enim est nexus ille animi similius; quæritur vero jam de nexu hunc nexus inter & corpus; aut est ille corpori magis par; sed hoc posito nexus desideratur inter hunc & animum; & eo modo in infinitum; unde facile patet, quæstionem eo modo differri tantum, sed non disolvi.

Thef. V.

Quam Græci *Kosμos*, Latini Mundum eleganter appellaverunt, Universi tota compages, infinitus est & immensus organismus, in se continuus, ab insita vi semet ipse movens, cuius singulæ partes relativas totalitates exhibentes, harmonia quadam mirabili pro Totius illius fine & diuturnitate vigent. Ut vero Universum illud vivum est, ita Reflexus ejus vivunt omnes. Ipsa materies non est nisi vis, ideoque viva; nam vis mortua absurdī quid complectitur in adjecto. Quod si prædicata, quæ humani sensus in materia ponunt, quæque propterea non nisi determinationes ipsius subjecti sunt, ause ras omnia, nihil omnino restat, nisi aliquid, quod sensus nostros feriens determinationes ejusmodi nobis extorquet; quod

vero falsa species haudquaquam esse potest, sed verum quod-dam; quoniam conscientiae ipsi, que veritatem in phænomenis in se & extra se non tam agnoscit quam poscit, alias re-pugnaret.

Thef. VI.

Quibusdam solummodo in naturis Polaritas minime latet. Quin potius, ut in magnete Polaritas est conditio, sine qua non potest vis interna sive internum illud ens, quod magneti subest, vim exserere magneticam; ita ipsa est generalis illa forma, qua vitæ internæ vis & essentia e phænomenis emicare valet. Enimvero nulla vitæ manifestatio fieri potest, nisi e vitæ unitate principium vitale diversa versus latera exeat, exeat ad vitam in se & vitam extra se. Quapropter neque poli hostiles habendi sunt oppositiones, sed potius qui amica harmonia eandem unicum exserentes vitam in contrarias tantummodo agant directiones.

Thef. VII.

Brutis animantibus salutis universæ Parens instinctum de-dit, ingeneratum illum & ex individua cujusque natura pen-dentem impetum, quo, quæ cuique salutaria sint, quærere, noxia vero & perniciofa evitare valeant. Quam efficax ille sit, migrantium avium agmina, aranearum, apium, castoris-que mirandum in modum ingeniosæ testantur artes. Neque ta-men rationis, cogitandi illius vis, plane expertia animalia esse, canes monstrant belluæque domitæ & condocefactæ. Quin etiam arbitrium ipsis concessum videtur; etenim quor- sum ferat eorum vitæ necessitas aut desiderium postulet, cursum suum & volatum dirigere possunt; pulicunque vespertini fu-surri arbitrium quadanterus nuntiant. At homini præter hæc omnia intellectum, quo ideas earumque manifestationes intel-ligere semetque personam sibi conscientiam valeat comprehende-re, Deus largitus est atque libertatem. Hinc hominis cum Æterna Vita propinquæ cognatio.